



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Percurrit Sueuiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

dum. Eam commoditatem ex coortis quas supra Liberatur con-
cione Augu-
stana. memorauimus, turbis mira Dei sapientia elicuit, vt, quod sine graui certamine obtineri alioqui non potuisset, non magno negotio Canonici darent Canisioque perpetuum tradi successorem sinerent. Is fuit Gregorius Rosephius, qui plus annos deinceps triginta singulari cum assensu Ciuitatis, parique profectu eam cathedram tenuit. Ceterum reliquit Canisius rerum Augustæ faciē, planè alteram ab illa, quam ipse primum inuenerat. Catholicorum numerum capitibus auctum multis, atque præstantibus: publicas supplicationes restitutas: redditam Pontificiis indulgentiis autoritatem: instaurata exornataque templa: Sacramentorum frequentem vsum: subleuatam inopiam, virginitatem excitatam, sacra cœnobia exulta. Multos sexus vtriusque ad insignem vitæ probitatem incensos, & institutos. Ad hæc gregis Catholici, qui pusillus, ac despectus iacebat, erectos animos, corroboratamque fiduciam: contraque vehementer ferociam Hæreticorum, & petulantiam fractam, ac mitigatam.

Per autumnum, cum Hieronymus Natalis Peruenit Sue-
miatis. ad visenda Austriæ domicilia processisset, Canisius in